Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1947

Quelle:
Copyright:

tum Papatus. Praefatio ita ordi-tur: *Diese nachvolgende zwannzigk artigkell seintt fürnehmlich vnnd am meistenn darumbe gestelltt wordenn* &c. Quantum inutilium Literarum! Istud Scriptum non reperi apud eos, qui de *Huberino* tractarunt. Consule et *Indicem.*

Fol. 25. Literae Provincialium *Styriae* ad Provinciales *Austriae* infer. datae *Grücz. Erichtag nach Vnnser lieben frawen Liechtmestag. Anno* (15) XIX. quibus eorum Legatos invitant ad habenda *Muraeponti* (Bruck an der Mur) tanquam loco juxta ultima Conventa *Oenipontana* opportunissimo Comitia ad conservandam a Morte *Maximiliani* Imp. quae 12. *Jan. Welsii* in *Austria* super. acciderat, Provinciarum tranquillitatem, dum *Carolus* et *Ferdinandus* Archidd. ex *Hispania* advenirent, vel, ut ipsi exprimunt: *Damit diselben vnnsre gnadigist Herren bey denen Lannden, vnd binwiderumb die Lannd bey Iren kun. vnd fürstl. Gn. bleiben megen.* Literae hae perferendae traditae sunt Viro nobili *Bernhardo de Teuffenbach*, unde addita est: *Instruction was der Edl vöst Pernhart von Teuffenbach von wegen gemainer Lanndtschafft in Steyr mit denen von der Ritterschaft in osterreich oder Irem auschus hanndeln sol.* In hac Instructione ajunt *Styri*, se idem a *Carinthis*, *Carniolis*que petituros, imo et a *Tyrolensibus*, siquidem *Austriacis* visum fuerit, deliberaturos etiam de Legatione Principibus juvenibus obviam mittenda. Ignorabant tunc, *Ferdinandum* solum venturum, qui et ipse sat turbarum in *Austria* reperit, ut habes in *Pezii Scriptt. Rer. Aust.* T. II. *col.* 987. *de Dissensione Provincialium Austriae.*

Fol. 28. p. 2. Dodecastichon Graecolatinum jocosum in Sacerdotes Catholicos, cujus initium:

Εἱματολευκοφόροι, Φαινοσκυθρωποπρόσωποι,
Ζυ(γ)οδιεργόβιοι, Χρηματομισσοπράται &c.

Candidauestigeri, Faciesimulanteseueri,
Pulchroperotumidi, Missapecunifices &c.

Atque ita quatuor hujusmodi sesquipedalibus vocum monstris unumquodque Distichum constat. Ad oram folii inferiorem Manus coaeva notavit: *Manus Camerarii Junioris. 7. Junij. anno 55. et compositio patris.* Id est *Joachimi* magni illius Graecarum Literarum in *Germania* statoris. Quis vero junior ille e *quinque* Filiis?

Fol. 29. *Iudicium Quorundam Theologorum de ijs qui sibi mortem consciscunt aut alias repentina morte obeunt.* Fragmentum est, incipiens: *Paulus inquit, manifesta*